

Res ( ut ibi loquitur ) occiduos & redivivos auctam suspi-  
cionem post confirmasset Duce Scriptore Fabio Alberga-  
te, qui in discursibus politicis Bodino oppositis *lib. 2. cap.*  
*10. p. 285.* Italorum, nunc verò per laudat. Lim. latino idio-  
mate ita disputat : *Cum administratio sit actus admini-*  
*strantis, clarum est, eam conformem esse debere naturæ ejus-*  
*dem.* Nam si talis non existeret, utiq; eam non perficeret,  
ut pro voluntate qui agit; propriam enim præceptis rueret in-  
necem. Ac quoniam illa operatio maxime præ aliis agenti  
est conveniens, quæ ex forma originem trahit, utpote cujus  
proprium seipsam conservare, qualibet administratio naturæ  
administrantis conveniens & propria forma esse debet, cum-  
que id quod proprium est & immediatè dependet à forma rei  
cum ea convertatur, ut dicens risibile, necessariò intelligat a-  
nimal rationale, & viceversa hoc premeus simul illud designet,  
consequens est, omnem administrationem conformem esse  
Reip., & positæ tali administratione, poni consimilè Rempubli-  
cam, positæ tali Rep. poni æqualem administrationem. Hæc  
ille; quæ si diductâ opinionis nebulâ ad tot clarissimo-  
rum virorum perspicaciorem ponderemus discussionem,  
vix sunt, ut mereantur calculum. Neque enim adeò  
speciosa omnia sunt, quæ hic cumulat utpote, externum  
tantum administrandi modum crepantia, quem tamen  
à statu, de quo saltamus remove, sana ratio simul & ex-  
perientia dicitat.

Thef. 5.

Fingamus Remp. nobis qua in Rex quidam consti-  
tutus, fortè, ut sese à multitudine, negotiorum liberet,  
officia & honores impertit suis. Confestimne ex concessi-  
one illa enascetur nova Reip. facies? nempè non solùm  
qui & quot administrant Remp., sed quo jure admini-  
strent perpendunt accuratiores. Et quoties asserimus  
statum Regalem sive Monarchicum Aristocraticè guber-  
nari, tum Monarchæ supereminenti tribuimus Majesta-  
tem ex asse, Optimatibus, nec quicquam ex ea participan-  
ribus